




Käuflich erworben  
von der ULB Halle



S. Freiherr v. Ende-Schlossnitz.

Käuflich erworben  
von der ULB Halle

XII, X Diff. Jahrh.

A

de Actionib<sup>z</sup> Mandato<sup>r</sup>.  
de etmoevitatum Juris Divini.

G.

B.

de Beneficio.

H.

C.

D.

E

de Eo, quod justum est.

J.

de Investigac<sup>i</sup> simoniae  
detectio<sup>r</sup>.  
de iure jejunantes abstine-  
entes.  
de iure Augustissimi.  
de lite contestata.

M.

de Mensium Fluxu nimio.  
de More inutendi signata  
de Moderamine Deculpata  
de Rigore Procuratore.  
— Ejus;

F



*de Poena sine Crimine.*

*de Nobilitate Venter.*

O.

V.

P.

*de Variis Genussum singnificat  
et jure.*

*de Poena sine Crimine*  
*de Princeps Herede*

W.

G.

R.

S.

X.

F.

*de Tractatis Pacis Westphalica.*

y.

U.

Z.

B.138.  
DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**VARIO CENSVVM**  
SIGNIFICATV ET IVRE

QVAM  
INDVLTV  
FACVLTATIS IVRIDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAE<sup>S</sup>IDE

DN. IVSTO HENNING. BÖHMER<sup>O</sup>  
ICTO POTENTI<sup>SS.</sup> REG. BORVSS. CONSIL.  
INTIM. PROF. IVR. ORDINARIO  
ET h. r. DECANO

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI HONORES  
PRIVILEGIA DOCTORALIA  
D. VI. MART. MDCCXXII.  
H. L. Q. C.  
ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

CAROLVS FRIDERICVS *Gumpelt*  
APOLLENS<sup>D</sup>ORFFIENS. SAXO ADVOCATVS DRESDENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis IOANNIS GRVNERI, Academ. Typogr.

DISSESTITO INAGARLIS IURIDICA  
VARIO GENSAV  
SIGNIFCATA ET IURE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
DN. IASCO HENNINGE RÖHNERO  
ICLO POTENTIÆ REG. DORASS CONSUL  
INTER PROG. IAC. OGDINUS  
ET R. DE LEONI  
PRO FECUNDIA  
SUMMOS IN ATRIOAE IURE CAPITENDI HONORES  
PRIVILEGIIS  
ERUDITORUM LIBRARIOM SABJCTA  
CAROLAS FRIDERICAS BÖHNERIC  
ACCESSIONIS EGO ADACATAS DISSESSES  
UNIVERSITATIS GRANIERI AGGREGATI





DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**VARIO CENSVVM**  
**SIGNIFICATV & IVRE.**



Igna rerum esse arbitria noto notius est. Quem-  
admodum enim verba ore pro-  
nunciata significaciones va-  
riatas ex hominum impositione  
acceperunt, quibus mentem  
suam alteri declararent; ita  
pari ratione factis quoque, gestibus, aliisque signis  
communi quasi consensu hominum impositae  
sunt significaciones, quibus idem efficeretur, imo  
saeppe efficacius mens declararetur quam per verba.  
In primis vero in illis causis, quae perpetuum  
temporis tractum, continuatamque iuris seriem de-

*Memoria ia-  
ris constituti  
per signa con-  
seruantur,*

A 2

fide-

siderant, vsu & obseruantia in foris ciuilibus signa varia inualuerunt, & legibus scriptis approbata sunt, per quae memoria alicuius *iuris constituti* in perpetuum conseruaretur, praecauereturque, ne tandem obliuione perirent, sed potius, repetitis certo tempore vicibus, agnitione eius publica per certa indicia fieret.

*quod exemplis  
illustratur.* §. II. In feudis *dominii directi* substantia admodum periclitaretur, nisi mutato vasallo vel domino renouatio feudi solenni quodam actu fieret, quod olim maxime necesse fuit, quo nondum *literae inuestiturae* receptae erant. In *precariis*, quae ab ecclesiis ad instantiam & preces indigentium concedi solebant, admodum solliciti erant ecclesiae proceres, ne possessores has in perpetuum sibi assertarent, qua de causa legem contractui addere solebant, ut de quinquennio in quinquennium renouarentur, *c. 5. C. 10. q. 2. c. 1. de precar.* vel etiam aliquando *annua pensio seu census* praestaretur, ut constat ex nou. *Leon. 13.* & formulis *MARCVLFI* infra allegandis. In *emphyteusibus* magnoper domini interest, ut memoriam *dominii directi* conseruet illibatam, id quod fit per annuam canonis solutionem, quem praefstant emphyteutae vnicce in *dominii directi recognitionem*. Quid autem est *recognoscere* aliud, quam declarare, profiteri, & per actum *solutionis* agnoscere, eum, cui census praestatur, esse dominum fundi directum, se vero emphyteutam. Hac de causa quoque arbitrarium est, in qua re pensio seu canon constituatur, cum signa rerum sint arbitria.

## §. III.

§. III. Fluxisse ex hoc principio arbitror eam praxin, qua *census* seu *annuas pensiones*, vt indicia quaedam iuris cuiusdam constituti, bonis rebusque imponere sueuerunt maiores, siue id ipsum ad imitationem *iuris emphyteutici* receptum, siue ex *naturali* quadam *ratione* inter gentes populosque introductum fuerit. Admodum enim conueniens est, vt, cuius rei memoria conseruanda est, annuam quandam recognitionem habeat, quae commodissime per *praestationem annuum* perficitur. *Enim* vero cum varia iura sint, in quorum memoriam talia indicia edi solent, non leuem peperit incertitudinem, quod generatim receptum fuerit, censum arbitrarium in horum gratiam praestare, quia ex *census solutione generatim* quidem colligitur, ius aliquod esse alicui concessum vel constitutum; cuius autem iuris concessi speciale indicium sit, saepe dubium & incertum est, nisi simul documenta ad sint, quae primordialem eius constitutionem edoceant.

§. IV. Haec omnia dubia euitari potuissent, *Caius significatus variis* si per leges census fuissent ita determinati, vt in singulis iura concessâ certarum rerum *praestatio fuisse*.  
*constituta*, in haec quidem nummorum, in alia frumenti, rursus in alia pullorum solutio & ita porro. Quod cum minime factum sit, euenter documentum, certum aliquod argumentum ex *census solutione* desumi non posse. Id quod vt evidentius fiat, animus est, in hac dissertatione inaugurali *varios censum significatus*, & inde fluentia iura euoluere &

*In primis ex emplo census.*

ex antiquis documentis vsum huius doctrinae illustrare.

*Annuae pen-  
siones in loca-  
tione occur-  
sunt,*

§. V. CENSVS quidem regulariter consistit in *annua praestatione* alicuius rei; sed finis eiusdem admodum diuersus est. Datur *annua pensio* in simplici *locatione*, quae soluitur propter vsum concessum rerum vel fructus fundi, & quia eorum *compensationem* intendit, proportionatam pensionem desiderat, & ex quantitate sua facile cognoscitur, siue ad breue tempus siue ad longum tempus locatio fuerit facta, imo etiam *in perpetuum*. Huc etiam *concessionem ad firmam* refero, cuius fit mentio in c. 7. X. de iure patron. Apud AVBERTVM MIRAEVM lib. II. donat. Belg. c. 101. occurrit diploma de anno 1245. huius tenoris: *Abbatissae & conuentui de camera Cisterciensis ordinis Cameracensis dioecesis dedimus, concessimus & tradimus ad firmam perpetuam SVB ANNUA PENSIONE 35. C. marcharum coloniensis monetae*, vnde liquet speciem *locationis* in tali concessione apparere, quod etiam docet textus in c. 8. X. de decim. c. 2. X. de locat. Ipsa appellatio est Anglo-saxonica, denotatque annonam *victum vel eduliu*s, vt ostendunt CANGIVS in glossar. hac voc. DE ROYE de iure patron. ad c. 7. X. de iur. patron. SPEELMAN. in glossar. hac voce. vt nihil aliud sit quam concessio vsum fundi alteriusue iuris pro pensione ad victum destinata vel pro praestanda annona. Hoc modo monasteria saepe villicis bona sua administranda dederunt, vt ex illis quotannis necessaria alimenta ipsis praestarent, qualis concessio est nihil aliud, quam traditio ad firmam.

§. VI.

§. VI. Porro occurrit *annua pensio* in emphy- <sup>ne*censu*n*in em-*</sup>  
*teusi*, quae vnicum suum fundamentum in iure <sup>*p*b*hyteusi*</sup>  
 Romano habet, cum qua *census*, de quibus hic agi-  
 tur, minime confundi debet. Dantur *census* praed- <sup>Dantur etiam</sup>  
*diis rusticis inhaerentes*, qui ex antiqua rusticoc- <sup>*census ru-*</sup>  
*rum conditione dominis praestandi sunt, & origi-*  
*nem suam ex antiqua dominorum potestate in ru-*  
*sticos trahunt. Id iam suo tempore TACITVS de*  
*moribus German. obseruauit afferens: Frumenti mo-*  
*dum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit.*  
*Dominus has praestationes iniungebat virtute do-*  
*minicae potestatis, vnde adhuc hodie praediis rusticis,*  
*sive rusticī liberi, sive proprii fuerint, tales*  
*census & praestationes inhaerent, cum manumissis*  
*rusticis, domini ipsis praediis has praestationes im-*  
*poserint, quae alias ex statu seruili praestandae*  
*erant. Optime & solide de his censibus agit ZIEG-*  
*LER. diff. de praediis censit. rural. & cum hi specialem*  
*suam rationem & naturam habeant, admodum va-*  
*riantem, de his primario non ero follicitus.*

§. VII. Denique sunt *annuae praestationes pu-* <sup>Tributa pu-</sup>  
*blicae*, ad onera publica referendae, quorū per- <sup>blica etiā</sup>  
 tinent variae species in Saxonia: *Quatember*, <sup>annuas praes-</sup>  
 (quod onus alibi vocari solet currenten *Contribu-* <sup>stationes ha-</sup>  
*bution:*) *Bermōgen-Steuer* / *Kopff-Steuer* / *Scho-*  
*ßen* / *Land-Steuer* / *Pfennig-Steuer* / *Tranc-*  
*Steuer* / n. quae hic recensere non vacat. Haec  
 onera sunt vel *realia* vel *personalia*, ad imitationem  
*censuum Romanorum. Et cum *census*, de quibus*  
*agendum, inde suam desumisse videantur applica-*  
*tionem, paucis horum naturam tangam.* *Moris* <sup>Quamvis ap-</sup>  
*pellatio cen-*  
*erat*

*quam indeua-* erat apud Romanos censere non tantum capita ci-  
 uium, sed etiam fortunas singulorum, vt pro fa-  
 cultatibus certus tributi modus solueretur. Ipsa  
 praestatio, quae a singulis bonorum fortunarum-  
 que possessoribus fisco inferenda, pro modo faculta-  
 tum, erat, *census* dicta fuit, vt docet tit. *C. de cen-*  
*sib. & censor. & tit. C. Theod. de censu. Conf. BRIS-*  
*SON. lib. I. select. antiquit. c. 5. PETISCVS in lexic.*  
*Antiquit. Rom. voc. censere.* In eundem fere sensum  
*GOTHOFRED. ad cit. tit. C. Theod. ait, in paratitl.*  
*census erat aestimatio, qua continebatur modus tributi,*  
*qui fisco a singulis inferendus erat.* Census hic in-  
 haerebat bonis, vt onus reale, vt non liceret rem si-  
 ne *censu* comparare. *I. 2.C. sine censu vel relig. fund.*  
*compar. non posse Conf. FELICIANVS de SOLIS de*  
*censib. in prooem n. 6.* Cum vero praeter tributa  
 publica aliae praestationes vel onera realia bonis im-  
 ponni possint, inde factum esse reor, vt hae praes-  
 tationes, ex bonis soluendae variis ex causis, *cen-*  
*sus* generali appellatione in iure canonico vocatae  
 sint, adeo vt etiam eandem Germani in vocabulo  
*Zins* / receperint: vnde *Zins* - *Güther* vocantur  
*censibus* hisce obnoxia bona, & qui censum  
 soluit *Zins* - *Mann*; qui vero eos percipit *Zins* -  
*Herr.* Denotat itaque *CENSVS*, de cuius vario si-  
 gnificatu & iure hic agendum, in genere annuam  
 pensionem seu praestationem ex bonis faciendam, in  
 signum alicuius iuris vel reseruati vel ab altero impe-  
 trati vel alteri, cui soluitur, constituti, ut in perpetuum  
 eius conseruetur memoria.

§. VIII.

§. VIII. Constitui in definitione varios censum fines, quoniam *census* varium in finem antiqui-  
tus bonis ecclesiasticis & secularibus fuere impositi,  
vt ex solutione sola *census* perpetuum & euidens  
argumentum desumi non possit, sed potius ex  
chartis diplomaticisque respiciendum ad *finem*, pro-  
pter quem impositi bonis fuere. Agnouit id ipsum ALEXANDER III. in c. 8. de priuileg. quae-  
situs de eccl. censualibus, & fundamenti loco hoc praemittit: *inspicienda ergo sunt priuilegia ipsarum ecclesiarum & ipsorum tenor diligentius est attendendus.* Ad-  
dit, posse censum solui ad *indictum perceptae libertatis*: vel etiam ad *indictum perceptae protectionis*. Verum etiam ob varium alium finem constituuntur, vt certum aliquod argumentum ex *solutione census* capi non possit, grauiterque errant, qui hoc vel illud ius inde deducunt. AVTOR Act. Lindau. p. 104. Eruam itaque ex antiquitatibus varios illos fines, in quorum signum, memoriam perpe-  
tuam, & conseruationem soluti.

§. IX. Antiquissimus est (1) *census*, qui olim pontifici Romano solutus fuit in signum *protectionis specialis*, quae eo vtilior ecclesiis, monasteriisque fuit, quod bona eorum infinitis exposita essent infidiis potentiorum, exactionibus episcopalibus, aliisque vexationibus, ad quas calamitates auerten-  
das, speciali *protectioni* & *mundiburdio* sedis Romaniae sese & bona sua subiiciebant, non tamen eo ipso simul se plene ab episcoporum inspectione & censura eximebant. Atque in huius *protectionis* ar-  
gumentum censum quandam sibi stipulabantur pon-

B

*Census solutio-  
fit in varium  
finem.*

*Vnde indubi-  
um argumen-  
tum inde tra-  
hi nequit.*

*Census solusi-  
tur (1) in si-  
gnum protec-  
tionis.*

tifices, cuius facit mentionem ALEXANDER III. in  
*c. 8. X. de priuile. recteque inde infert, ex hac solu-*  
*tione iuri dioecesano episcopi nihil videri subtra-*  
*ctum, quod tantum ad indicium perceptae protectionis census per solueretur.* Talem fuisse censum credo,  
*quem quotannis ad altare S. Petri Romam persolu-*  
*endum esse a coenobio Ratisponensi, in honorem*  
*Exemplum  
coenobii Ra-  
tisponensis  
S. Emmerani.*
*S. Emmerani exstructo, iussit CAROLVS M. in di-*  
*plomate, quod occurrit in HVNDI metropol. Salisb.*  
*tom. I. p. 149. non. edit. qui ab initio tantum fuit*  
*septem aureorum. Occurrit in diplomate clausu-*  
*la: ecclesiam Dei liberam esse & in potestate regum*  
*seu imperatorum usque in aevum permanere, quae li-*  
*bertas nihil aliud denotabat, quam specialem immu-*  
*nitatem ratione bonorum, quae variis modis ab epi-*  
*scopis infestabantur. Confirmatur eadem libertas*  
*in priuilegio OTTONIS I., & census simul augetur,*  
*quod forsitan crederent caesares, aucto censu, ponti-*  
*fices maiorem sollicitudinem gesturos pro securi-*  
*tate & integritate huius monasterii. Diploma O-*  
*TTONIS itidem exhibit HVNDIVS cit. l. p. 157. vnde*  
*liquet (1) Ottonem protectionem hanc adstrictius*  
*confirmasse propter improbitatem episcoporum eiusdem*  
*civitatis, quia non omnes sed multi ex eis semper*  
*insidiose contendebant contra eundem sanctum locum.*  
*(2) in maiorem protectionis Romanae efficaciam*  
*censum auctum esse, quod verba haec indicant: pro-*  
*pterea volumus & amorem & honorem S. Petri de praedicto*  
*monasterio censum augeri, ut rectores eiusdem*  
*coenobii pro defensione & libertate eiusdem loci unoquoque*  
*anno offerant Romam dimidiā libram coti aurei*  
*ad altare S. Petri.*

§. X.

§. X. Ad huiusmodi protectionem sedis Romanae consequendam fundatores monasteriorum & ecclesiarum eadem B. Petro & ecclesiae Romanae solenni quodam ritu tradebant, & simul censum quendam annum promittebant. Tale quid factum in fundatione monasterii Rotensis, cuius fundator post foundationem illud B. Petro & Romanae ecclesiae tradidit per manum Eberhardi de Razenhouen, qui & primus bizantium annuatim persoluendum Lateranensi palatio persoluit, teste HVNDIO in metrop. Salisb. tom. III. p. 182. edit. nou. GEWOLDVS vero in addit. aliquot diplomata adiecit, ex quibus eidem intentio fundatoris appareat. Primo loco INNOCENTII II. de anno 1442. diploma adfert, in quo haec habentur: *Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum licet, praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones afferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vobis omnimodis profutura.* Ad indicium autem huius a se de apostolica perceptae protectionis bizantium aureum nobis nostris que successoribus annualiter persoluetur. Simili fere tenore EVGENIVS III. ann. 1151. in protectionem specialem hoc monasterium suscepit, addita tamen hac clausula: *salua dioecesanorum episcoporum canonica iustitia & reverentia, ea sine dubio de causa, quod hoc monasterium plenariam forsitan exemptionem a iure dioecesano sub praetextu huius protectionis sibi afferere conatum esset.* In diplomate FRIDERICI de anno 1226. idem refertur his verbis: *His*

*Aliud exceptum Rotensis monasterii*

ergo praediis atque redditibus, cui fidelis Rotense monasterium fundauit, ac fundatum B. Petro ac Romanae ecclesiae tradidit per manum Eberhardi de Razenhouen, qui & primus bizantium annuatim persoluendum Lateranenji palatio persoluit, ac sic loco atque familiæ tutelam apostolicae defensionis obtinuit &c.

Item Cluniacensis monasterii.

§. XI. Similem censum persoluit Cluniacense monasterium a WILHELMO duce Aquitaniae anno 910. exstructum, & defensioni sedis Romanae subiectum, in cuius recognitionem census soluendus erat. Verba testamenti WILHELMI ducis in concil. Gallic. tom. III. p. 570. id indigitant evidenter: per quinquennium autem Romae ad limina Apostolorum decem solidos præfati monachi persoluant habeantque tuitionem ipsorum apostolorum atque Romanum pontificem defensorem. Episcopatus Bambergensis pari modo ab initio tantum nudae protectioni & tuitioni sedis Romanae ab HENRICO I. subiectus fuit præstito censi, ut testatur AVTOR Vitæ Meinwerci episcopi Baderborn. apud LEIBNIT. tom. I. script. Brunsuic. p. 526. c. 27. his verbis: eodem ergo tempore Bauembergensem fundum rex cum omnibus peririentiis suis B. Petro contradens apostolico præsuli iugiter defendendum commendauit. Et in commemorationem huius passionis album ambulatorem (h. e. equum) cum faleris singulis annis Romano præsul dare constituit. Addit HOFFMANNVS lib. I. annal. Bamberg. §. 86. præterea centenas marcas argenti in singulos annos ecclesiae Romanae datas fuisse. Ipsa diplomata evidenter hanc protectionem demonstrant, ostenduntque, sub hac totalem exemptionem ab

Episcopatus  
Bambergen sis.

ab initio haud latitasse. Primum est IOHANNIS XIX.  
de anno 1008. apud LVNICH. tom. II. spicil. eccl. p. 9.  
vbi hae duae clausulae occurrunt: *si t ille episcopus  
liber & ab omni potestate extranea securus, Romano  
tantum mundiburdio subditus.* Altera vero haec:  
*si tamen idem suo metropolitano subiectus atque obe-  
diens, quae indicium praebet, protectiones has non  
fuisse totales exemptiones.* Census, cuius ante me-  
mini, demum fit mentio in diplomate BENEDI-  
CTI VIII. de anno 1012. apud EVNDEM cit. l. p. 11.  
ita sane, ut singulis quibusque indictionibus, sub no-  
mine pensionis equum unum album nobis nostrisque suc-  
cessoribus persoluat, cum sella conueniente Romano pon-  
tifici. Pari modo LEO IX. anno 1052. omnia priuile-  
gia Bambergensi ecclesiae confirmauit apud EVN-  
DEM cit. l. p. 17. hac adiecta clausula: *sed tamen idem  
episcopus suo metropolitano episcopo Moguntino in ca-  
nonicis canis tantummodo sit subiectus & obediens,*  
quamvis tractu temporis totalis exemptio ex hac  
protectione sedis Romanae producta & procreata  
fuerit. Ipsum *censum* episcopi Bambergenses fideliter  
sedi Romanae persoluerunt, eoque nomine apo-  
chas acceperunt. Modum soluendi & epochas  
dandi praelaudatus HOFFMANNVS cit. l. lib. 2. §.  
23. ab ill. Dn. a LVDEWIG editus tom. I. script. Bam-  
berg. hoc modo depingit: *Eodem anno Hardouicus  
episcopus nuncium cum literis Romam ad Clementem  
pontificem misit, quibus ei sinceram fidem & reueren-  
tiā praestitit, & censum annuum persoluit. Adeas  
literas pontifex rescripsit in haec verba: Clemens epi-  
scopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Hardo-  
uico,*

uico, episcopo Babebergensi, salutem & apostolicam benedictionem. Cum annum censum vnius palafridi albi cum sella & censum marcarum argenti ecclesiae Romanae annis singulis persoluere tenearis, & usque ad praesentem annum pro toto tempore praeterito tum praedecessorum tuorum quantuo, de huiusmodi censu sit per te nostrae camerae satisfactum; nos ab eodem censu pro dicto tempore, te & ecclesiam tuam duximus absoluendos, tibi super hoc praesentes literas concedentes. Volumus tamen, ut censum ipsum pro eodem, praesenti anno & deinceps annuatim soluere tenearis &c. Cum vero hic census annuus graue onus ecclesiae Bambergensi esset, anno 1054. HENRICVS III. Imperator cum pontifice egit, ut eum remitteret. Rem gestam enarrat HOFFMANNVS cit. l. §. 26. his verbis: erat sub id tempus ecclesia Babebergensis s. Petri & successoribus eius pontificibus Romanis in censum marcas argenti & palafridum in singulos annos dandum adhuc obligata: eam a tanto onere Henricus liberare cupiens petit a Leone pontifice, ut censum remitteret, & pro eo Benouentum, in ducatu Beneuentano, regii iuris oppidum, nomine vicarius sibi haberet. Qua re audita, Leo facile annuit, & ecclesiam a præstatione census omnino liberavit.

(2) Soluuntur §. XII. Postquam seculo XI. exemptiones totales census in sumnum exemptionis plena- ab ordinariorum iurisdictione in frequentiorem gnum exem- vsum sunt deductae, (II) sedes Romana in signum zionis plena- & testimonium libertatis plenariae ab ordinariorum viae. iurisdictione hinc inde censum sibi reseruauit, quod tales ecclesiae specialiter iuris B. Petri existerent, vt dicitur in e. 8. X. d. priuil. Tale libertatis priuilegium concessum est praepositurae Berchtesgadenfis a tergadensis il. PASCHALI II. anno 1106. apud LVNICH p. III. spicil. Instratur.

cil. eccl. p. 3. vbi refert, quod Berengarius & Cano  
comites villam Berchtesgaden & Niderheim *Deo*  
& B. Petro sub anno censu obtulerint, additque: sub  
tuitione apostolicae sedis suscepimus, statuimus ita-  
que, ut nulli omnino liceat praedicta allodia B. Petro  
subirahere, minuere vel temerariis vexationibus fati-  
gare &c. Confirmauit eandem protectionis conces-  
sionem CALIXTUS II. anno 1122. apud EVNDEM  
cit. l. p. 4. additque: ad indicium autem perceptae a Ro-  
mana ecclesia libertatis aureum unum quotannis Late-  
ranensi palatio persoluetur. In INNOCENTII II.  
bulla de anno 1141. apud EVNDEM p. 5. clausula pri-  
or ita refertur: *ad indicium autem huius a*  
*sede apostolica perceptae protectionis bizantium*  
*aureum nobis nostrisque successoribus annis singulis per-*  
*solutur, qua formula etiam successores pontifices*  
*vsi sunt.* Quamvis autem in CALIXTI II. bulla ad-  
iecta haec fuerit clausula: *sane iuris ecclesiastici sa-*  
*ceramenta a diocezano suscipiantis episcopo;* haec ta-  
men nullam ordinario conseruavit iurisdictionem,  
sed tantum actus ordinis seu *functiones sacerdotales*,  
qua*e iurisdictione magnopere distinguuntur.* Similis  
tenoris bullam anno 1201. INNOCENTIVS III. con-  
cessit coenobio S. Petri in monte sereno den. Peters  
Bergi quam refert ill. Dn. a LVDEWIG. tom. II. re-  
lig. MSC. p. 208. In ipso diplomate refert 1) se eam  
ecclesiam in ius & proprietatem ecclesiae Romanae  
recepisse: 2) chrisma, oleum sanctum, consecratio-  
nes altarium seu basilicarum, ordinationes cleri-  
corum diocezano episcopo reseruasse, qua clausu-  
la rursus ei praeter *actus ordinis* nihil relictum: 3)

*Et coenobii S.*  
*Petri in mon-*  
*te sereno.*

in signum libertatis sibi *censum* persoluendum esse, quod indicant verba haec: *ad indicium autem huius perceptae a sede apostolica LIBERTATIS bisancium auri vel fertonem nobis nostrisque successoribus annis singulis persoluetis.* Simile plenariae exemptionis sub anno censu documentum occurrit apud EDMUNDVM MARTENE in collect. noua tom. I. P. II. p. 29. vbi refert GREGORII VII. confirmationem priuilegiorum monasterii Rothonenensis, hac vtentis inter alia formula: *proinde iuxta petitionem tuam praefato monasterio, cuī tu praeesse dignosceris, & quod iurā S. R. E. esse dignoscitur, unde per singulos annos census trium decaniorum aureorum sibi redditur, huiusmodi priuilegia prae senti auctoritatis nostrae decreto indulgemus.* Post pauca clarius *exemptio totalis*, cuius nomine census soluebatur, his exprimitur verbis: *vt nulli alii nisi Romanae & apostolicae sedi, cuius iuris est, aliquatenus monachi occasione subiecti.* In EVGENII III. diplomate, p. 31. c. 1. relato, haec occurrit formula de eodem monasterio: *Ad indicium autem quod coenobium eorum iuris sū B. Petri & S. Romanae ecclesiae, singulis annis tres aureos nostro Lateranensi palatio persoluetis.* Haec leuioris census *praestatio monasteriis* haud adeo onerosa erat, quippe qua a grauissimis episcoporum exactionibus & infinitis aliis oneribus liberabantur.

(3) *in signum subiecōnōis, infinitas ecclesiās immediate sub censu annuo sibi qualem censum Gregorius VII. a regnis exigit.*

§. XIII. Neque vero sedes Romana duntaxat infinitas ecclesiās immediate sub censu annuo sibi subiecit (quamvis non ab omnibus exemptionis censum stipulata fuerit, vt indicat c. cit. 8.) sed etiam (III) integra regna sub nexus quodam feudalī censuali.

*Juulia* efficere, suoque pedo pastorali inusitata prorsus audacia subiicere conata est, quo in instituto  
 prae ceteris GREGORIVS VII. inclaruit. Etenim  
 (1) censum huiusmodi Galliae obtrudere voluit, *vi (a) Galliae*  
 vt docet epist. 23. lib. VIII. apud HARDVINVM. tom.  
 VI. P. 1. p. 1476. Dicendum autem est omnibus Gallis, &  
 per veram obedientiam praecipiendum, vt unaquaque domus saltim unum denarium annuatim soluat B. Petro, si eum  
 recognoscunt patrem & pastorem suum more antiquo. Nam  
 Carolus Imperator, (sicuti legitur in tomo eius, qui in archi-  
 no ecclesiae B. Petri habetur) in tribus locis annuatim colli-  
 gebat mille & ducentas libras ad seruitium apostolicae se-  
 dis: i.e. Aquigrani apud podium S. Mariae & apud S. Aegi-  
 dium. Nondum vero hunc tomum, ad quem pro-  
 uocat, publicauit pontifex, qui sine dubio fictius  
 & spurius est, vt etiam obseruant FLEVRY in hi-  
 stor. eccl. tom. XIII. p. 396. & MAIMBOVRG. dans  
 l' histoire du pontificat. de S. Gregoire le Grand. lib.  
 III. in f. p. 314. Addit MAIMBOVRG. p. 315. Mais com- Quamuis fru-  
 me on n' avoit garde de souffrir en France cette im- librauo co-  
 position & qu' il ne paroit pas dans nostre histoire, natu  
 qu' on l' ait seulement propose, il y a bien de l' appa-  
 rence, que ses legats n° oserent jamais en parler, be-  
 aucoup moins entreprendre d' executer ses ordres. In-  
 cidit forsan GREGORIVS VII. in literas GREGO-  
 RII M. vnde liquet, ecclesiam Romanam in Gallia  
 possedisse fundos quosdam per testamenta & dona-  
 tiones fidelium, quos in firmam concesserat qui-  
 busdam possessoribus, vnde hi quotannis certum  
 soluebant censum, obseruante MAIMBOVRGIO cit. l.  
 p. 306. seqq. Miserat hunc in finem in Galliam Can-  
 didum, eumque CHILDEBERTO regi admودum com-  
 men-

C

mendauerat, hac addita petitione lib. 5. epist. 5. si res eiusdem patrimoniali ab aliquo detinentur, potestatis vestrae iustitia corrigatur, & iuri pristino, quae ablatâ sunt, reformatur. Verum hoc patrimoniolum B. Petri tempore GREGORII VII. dudum extin-  
ctum & a pontificibus, aliunde satis ditatis, negle-  
ctum erat, ut nec sub hoc praetextu vniuerso re-  
gno censum imponere potuerit.

(9) *Saxoniae*

§. XIV. Similem fabulam narrat GREGO-  
RIVS VII. cit. l. de Saxonia a CAROLO M. B. Petro  
oblata his verbis: *Idem vero magnus Imperator Sa-  
xoniam obtulit B. Petro, cuius eam deuicit adiuto-  
rio: & posuit signum devotionis & libertatis, sicut  
ipsi Saxones habent scriptum & prudentes illorum fa-  
tis sciunt.* In eodem forsan loco diploma hoc ob-  
lationis Carolinum asseruabitur, quo famosa illa do-  
natio CONSTANTINI M. patrimonii petrini.  
Nam vtrumque titulum coniungere allaborauit in  
formula iuramenti, post RUDOLPHI mortem regi  
eligendo praescripta lib. IX. epist. 3. apud HAR-  
DVINVM cit. l. p. 1481. *De ordinatione vero ecclesiarum,  
& de terris vel censu, quae Constantinus Imperator vel Ca-  
rolus S. Petro dederunt, & de omnibus ecclesiis vel praed-  
iis, quae apostolicae sedi ab aliquibus viris vel mulieribus  
ab aliquo tempore sunt oblata vel concessa, & in mea iure  
vel fuerint potestate, ita conueniam cum Papa, ut pericu-  
lum sacrilegii & perditionem animae meae non incurram.*  
Haec fuit astuta sedis Romanae cautela, qua ligare  
Imperatorum conscientias voluere, ut regnum  
Germaniae sibi censuale facerent, quae tamen ef-  
fectu caruit.

§. XV.

§. XV. Hispaniam quoque censualem esse at-<sup>(y)</sup> Hispaniae.  
 que ad ius B. Petri pertinere, credulo imponere  
 voluit orbi GREGORIUS VII, ep. 7. lib. 1. apud HARDVINVM cit. l. p. 1200, scribens. Non latere vos credimus,  
 regnum Hispaniae ab antiquo proprii S. Petri fuisse & adhuc  
 (licet diu a paganis sit occupatum) lege tamen iustitiae non  
 evacuata, nulli mortalium sed soli apostolicae sedi ex aequo  
 pertinere. Quod enim auctore Deo semel in proprietates  
 ecclesiarum iuste peruererit, manenia eo, ab vsu quidem  
 sed non ab earum iure occasione transeuntis temporis sine  
 legitima concessione diuelli non poterit. Eandem fabu-  
 lam repetit lib. IV. epist. 28. apud HARDVIN. p. 1373.  
 Notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem facere non  
 est liberum, vobis autem non solum ad futuram sed etiam ad  
 praesentem gloriam valde necessarium, videlicet regnum  
 Hispaniae ex antiquis ex constitutionibus B. Petro & S.  
 Romanae ecclesiae in ius & proprietatem esse traditum.  
 Post pauca allegat impedimenta, quae exactionem  
 seruitii seu census admittere noluerunt: Nam post  
 quam regnum illud a Saracenis & paganis peruersum est, &  
 SERVITIVM, quod B. Petro inde solebat fieri, propter  
 infidelitatem eorum, & tyrannidem detentum, ab vsu no-  
 strorum tot annis iuterceptum est, pariter etiam rerum &  
 proprietatis memoria dilabi coepit. Hac de causa ablegas-  
 se se duos praelatos in sequentibus docet, qui iu-  
 ra sedis Romanae plenius assererent, & seruitium,  
 quod B. Petro debetur, redintegrarent.

§. XVI. Eadem fata habuit regnum Portugal-<sup>(z)</sup> Portugaliae,  
 protectionem sedis Romanae imprudenter ambiens. Regnum, regi commissum, Romanae ec-  
 clesiae censuale esse, & hac de causa regem & regnum  
 sub B. Petri & sua protectione se suscepisse scribit

INNOCENTIVS III. lib. I, epist. 44. edit. BALVZ.  
 Idem repetit in epist. 48. lib. I. & fundamentum inde petit, quod regnum regi commissum (quasi in administrationem a Papa) ab inclytae recordationis progenitoribus eius Romanae ecclesiae constitutum fuerit censuale. His praemissis pergit: *Vnde per dilectos filios Ioannem Ouezi & Egeas Petri fratres hospitalis Hierosolymitani pro anno censu quatuor vnciarum auri, quas magnitudo regia recognouit ratione temporis a Lateranensi concilio iam elapsi, quingentos & quatuor morabatios ad suggestionem dilecti filii fratris Ruinerii nuncii nostri nobis regia serenitas destinauit, quod debita prosequimur graiarum actione.* Is fuit ALPHONSVS rex Portugalliae, qui hoc regnum vectigale sedi Romanae fecit, sub anno censu vnciarum quatuor, ut docent literae a BALVZIO primum editae lib. II. miscell. p. 210.

(e) Poloniae  
& Silesiae. §. XVII. Pari fato, quod superstitione reprobanda produxerat, exposita fuere alia regna. Poloniam enim & Silesiam quoque censuales factas fuisse ex pacto Regis CASIMIRI cum pontifice ostendit GOLDASTVS de regn. Bohem. lib. II. c. 12. inf. Facit huius census soluti mentionem GREGORIVS VII. l. 2. epist. 7. apud HARDVIN. cit. l. p. 1268. Peruenit ad nos nuncius vester, qui magnae devotionis & fideliatis vestrae exhibitionem nobis retulit, ut quae B. Petri sub nomine census mississ, videlicet centum marchas argenti ad mensuram vestri ponderis. Regnum Daniae pari astutia sibi subiicere studuit GREGORIVS VII. vt docent epist. 15. & 57. lib. 2. Sed intentioni non respondit euentus, regemque Daniae, qui pro more illius temporis non indeuotus erat in sedem papalem

(f) Daniae.

lem, terruerunt aliorum vestigia, animaduentem, arroganter hunc pontificem, ad reges censuales, ut ad subditos suos, scribere. Regnum Hungariae pariter suo pedo subiectum esse censuit (<sup>n</sup>) Hungariae. GREGORIVS VII. lib. 2. epist. 13. apud HARDVNINVM cit. l. p. 1273. Nam sicut a maioribus, scribit, patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae S. Romanae ecclesiae proprium est, a rege Stephano olim B. Petro cum omni iure & potestate sua oblatum & deuore traditum. Redarguit ea de causa SALOMONEM regem Hungariae, quod regnum hoc regi Teutonico in beneficium obtulisset, cum hoc non regiae, sed apostolicae maiestatis beneficium recognoscere deberet. Idem repetit lib. II. epist. 63. & 70. & lib. VII. ep. 4. Regnum Dalmatiae quoque Petro & sibi vindicat (<sup>θ</sup>)Dalmatiae quin etiam Corsicam insulam lib. VI. epist. 12. in eundem referat censem, & ad dominium Romanae ecclesiae pertinere credat. De censu regni Siciliae sedi (<sup>i</sup>) Siciliae Romanae olim praestito vid. BALVZ. in vit. Papar. Auen. p. 606. Nec hic substitit, sed ipsum Russorum imperium iure beneficiario a se recognoscendum esse censuit in epistola ad DEMETRIVM regem Russorum scripta, vid. lib. II. epist. 74.

§. XVIII. Denique Angliae regnum quoque (<sup>x</sup>) Angliae. denarium S. Petri, de singulis aedibus soluendum, sedi Romanae obtulisse noto notius est, de cuius autore adhuc cespitant scriptores. vid. CANGIVS in gloss. voc. Denarius S. Petri. Soluisse hoc tributum GUILIELMVM regem anno 1070. constat. vid. Gest. Guilielm. p. 206. Nouum anno 1213. accessit subjectionis documentum sub rege 10 ANNE, qui irato

C 3 pon-

pontifici aliter satisfacere non poterat, quam vt  
 regnum suum in manus eius resignaret, & illud ab  
 eo rursus in feudum acciperet. Literas recogni-  
 tionis refert MATTHAEVS Paris. in histor. Angl.  
 ad cit. ann. p. 198. sq. in quibus subiectionem suam  
 his profitetur verbis: *conferimus & libere concedimus*  
*DEO & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo & sanctae*  
*Romanæ ecclesiae matronæ nostræ, ac Domino Papæ In-*  
*nocentio eiusque catholicis successoribus totum regnum An-*  
*gliae & totum regnum Hyberniae cum omni iure & perti-  
 neutiis suis pro remissione omnium peccatorum nostrorum &*  
*torius generis nostri pro viuis quam pro defunctis, & amo-*  
*do illa ab eo & ecclesia Romana tanquam secundarii*  
*us tenentes & recipientes in praesentia prudentis viri Pan-*  
*dulphi domini Papæ subdiaconi & familiaris --- ad indi-*  
*cium autem huius nostræ perpetuae obligationis & concessi-*  
*onis volumus & stabilimus, vt de propriis & specialibus*  
*reditibus nostris prædictorum regnorum pro omni seruitio*  
*& consuetudine, quæ pro ipsis facere debemus, saluis per*  
*omnia denarii beati Petri, ecclesia Romana mille marcas*  
*Esterlingorum percipiat annuatim; in festo scilicet S. Mi-*  
*chaelis quingentas marcas, & in pascha quingentas. Se-*  
*ptingentas scilicet pro regno Angliae & trecentas pro regno*  
*Hyberniae.* En vero superbiam PANDULPHI legati  
 pontificis! Hic enim pecuniam, quam in arham  
 subiectionis rex contulerat, sub pede suo conculca-  
 uit; archiepiscopo dolente & reclamante, vt ait  
 MATTHAEVS paris. cit. l. Innouata est eodem anno  
 solenniter haec subiectio, adueniente in Angliam  
 NICOLAO V. Thusculanensi legato sedis Romanae,  
 teste EODEM p. 207. inquiete: *ante maius altare*  
*ecclesiae cathedralis coram clero & populo exacta est*  
*& rege & innouata, illa non formosa sed famosa sub-*  
*iectio,*  
 Quae a Papa  
 in feendum da-  
 ta.  
 Admodum fe-  
 rociente eius  
 legato.

iectio, qua in manum domini Papae diadematice cum regno resignato, tam dominium Hyberniae quam regnum subdidit Anglicanum. Anno 1215. pontifex subiectio[n]is memoriam renouauit in bulla apud EV N D E M cit. l. p. 223. his verbis: *quin imo utraque sententia relaxata regnum suum tam Angliae quam Hyberniae beato Petro & ecclesiae Romanae concessit: recipiens illud a nobis in feudum SVB ANNO CENSU MILLE MARCARVM, fidelitatis nobis inde praestito iuramento.* Hoc modo pontifices quaevis regna sub annuo censu sibi subiungare conatisunt, & fors[an] omnes reges parem fortunam cum rege Angliae experti fuissent, nisi tandem aulae Romanae ultra modum crescens potentia fracta fuisset. De hisce vasallis sedis Romanae ex instituto agit ANTONIUS MARCELLVS de iure seculari Rom. Pontif.

§. XIX. Liquet ex hac tenus dictis, hunc censem ecclesiam Romanam ab ecclesiis, monasteriis & regnis sibi passim vindicasse, vel in signum acceptae libertatis ab episcopali iurisdictione, vel in argumentum singularis protectionis sedis Romanae, vel obnexum feudalem in memoriam factae olim oblationis in feudum ecclesiae Romanae. Neque vero tantum tedi Romanae hic *census* ex regnis beneficiariis obuenerunt; nobiles quoque & proceres regnum, in primis Germaniae, bona sua ecclesiis episcopilibus monasteriisque in feudum obtulerunt, ex devotionis cuiusdam irregularis pruritu, simulque se ad seruitia feudalia & censem annum, in memoriam factae oblationis & recognitionis soluendum, obstrin-

*Similis census  
solatio ex bo-  
nis oblatis.*

obstrinxerunt, vel iure precariarum ab iis possederunt. Varia id diplomata illustrant & corroborant. Apud GOLDASTVM tom. II. rer. allem. p. 41. n. 50. occurrit charta Vpperti, qua bona sua obtulit ecclesiae S. Galli & in recognitionem memoriamque huius oblationis sese ad censum obligauit, his verbis: *in ea vero ratione, ut dum ego aduixero, ipsas res habere debeam & censui me pro hoc annis singulis de festiuitate S. Galloni in aliam soccum aut IV. denarios.* Aliam chartam similis oblationis IDEM cit. l. n. 42. p. 38. adfert, vbi ista census obligatio occurrit: *& pro istas res proseruire volo annis singulis h. e. XXX. seglas ceruifiae, XL. panes, Frischengam tremessem valientem & XXX. mannos & arare duos iochos in anno.* Alia oblationis charta n. 84 p. 53. occurrit, qua testatur Wolfhugi se coenobio S. Galli tradidisse & donasse, quicquid in pago Turgawensi possederat, additque sequentia: *mibique & legitimae meae procreationi sub ea ratione possidendam dereliquit coenobium, ut censum exinde singulis annis persoluamus i. e. II. denarios vel II. maldros de grano.* Si ego illas redimere velim, cum I. solidio id agam. Si vero ego illas non redimam, legitimi heredes mei sub praedicto censu eos possideant. Sub n. 83. GOLDASTVS cit. l. aliam chartam oblationis adfert, in qua census a priori diuersus constitutus legitur: *in ea videlicet ratione, vt easdem res ad me recipiam tempus vitae meae perfruenda, censumque inde annis singulis persoluam i. e. vt ad proximam curtem S. Galli unum iuchum arem, & cum semine meo seminem annis singulis unaquaque inga.* Et si redimere illud velim, cum duobus solidis id agam. Si autem vxor mea me superuixerit, easdem res habeat, centumque omnis

*annis singulis persoluat, i. e. VI. maldras de auena & I. maldram, de Kernone &c. Similes chartae occur- runt n. 77. 78. 79. 81. 82. quae ostendunt, bona huic coenobio fuisse oblata, vt vel eadem iure feudi vel precariae in posterum sub annuo censu tenerent.*

§. XX. Sed reuertor ad curiam Romanam, *Census curiae vbi dubium motum fuit, an talis census citra Simoniam soluatur. Morem hunc INNOCENTIVS III.* *Romanae soluti citra Simoniam*  
*in c. 6. X. de relig. domib. ab omni simoniaca labe im-*  
*munem esse censuit his verbis: nos quoque cum li-*  
*bertatis priuilegium vel protectionis praesidium aliqui-*  
*bus ecclesiis indulgemus, gratis accipiamus censum gra-*  
*tis oblatum, & in literis nostris ad successorum nostro-*  
*rum memoriam census exprimamus etiam quantitatem.*  
*Duplici arguento probat, in solutione huius cen-*  
*sus Simoniam abesse, 1) quod gratis accipiatur, non*  
*tanquam pretium acceptae libertatis & redemptae*  
*protectionis: tunc enim Simoniam committi vo-*  
*lunt, quando ut pretium interueniente pacto ali-*  
*quid soluitur, quod in census solutione occurre*  
*non videtur, vtpote nullam proportionem haben-*  
*tis cum priuilegio accepto, sed tantum in signum*  
*& memoriam impetratae gratiae promissi: (2) quod*  
*gratis offeratur, non quasi ex pacto, sed spontanea*  
*oblatione; neque enim in exemptionibus & protec-*  
*tionum bullis semper census est reseruatus, & per sti-*  
*pulationem constitutus, sed magis a quibusdam, vt*  
*vult pontifex, sponte oblatus. Meo iudicio non ne-*  
*cesse fuisset, hisce vti argumentis, nisi tam late con-*  
*tra iuris rationem, extensa fuisset simoniae labes*  
*putatiua, vt facile ratio dubitandi contra hos cen-*  
*sus*

sus inde desumi potuisset. Interim rationes aductae ita comparatae sunt, vt fere vbiique simoniae intolucrum aliquod induci posset, cum, quod soluitur, vt plurimum titulo honorarii, sponte oblati, soleat incrustari.

*Census etiam  
aduocatis  
fulti;*

*pro iurisdi-  
ctionis exer-  
citio;*

§. XXI. Eadem ratio quoque varios aduocatorum censū produxit, quorum solutione ecclesiae vel monasteria recognouere, se iuri aduocatiae subjecta esse. In genere enim, vt dixi, hi censū argumenta erant iuris alicuius alteri concessi vel ab eo impetrati, cuius memoriam hoc ipso conseruabant veteres. Dabantur vero frequenter aduocati ecclesiis vel nudae defensionis vel etiam iurisdictionis exercendae gratia. Posterior aduocatiae species tunc erat necessaria, quando monasteria ducum ordinariae potestati erant subducta, vt haberent iudicem, per quem ciuilia & criminalia expedirentur, quorum exercitio praelati eo tempore adhuc abstinere cogebantur. Apud autorem Chron. Gemmelac. in spicil. Dacheriano tom. VI. relati occurrit diploma OTTONIS M. de anno 984. quibus LANTBERTVM, comitem Louaniensem, creavit aduocatum coenobii Gemmelacensis, censumque hunc ei assignauit: Porro aduocatus in villis ad aduocatiam pertinentibus nihil aliud iuris habeat nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, avenae sextarium unum. In charta HENRICI IV. de anno 1075. relata in monum. Wurtemb. in mon. Hirsaug. n. 1. & apud TRITHEMIVM in chron. Hirsaug. ad ann. 1071. p. m. 86. haec occurunt: nullum aliud seruitium, ius aut beneficium sibi pro hoc recogno-

recognoscat, nisi tertium bannum & consuetudinariam iustitiam & legem, quam oeteri aduocati in aliis liberis monasteriis habent super fures, proteruiam & censuales & cetera talia, & in illis tribus placitorum diebus in unoquoque maltrum de frumento & unum frisingum (friskingum) & unum solum de vino & cetera ad hoc pertinentia. Similis fere tenoris chartam de anno 1090. ex MSCTO publicauit in obseruat. ad Petr. de Marca de C. S. & Imp. lib. I. c. 12. obs. 18. in qua RUTHARDVS, archiepiscopus Moguntinenis, monasterium Comberg. confirmavit, & de aduocati iure haec constituit: cuius aduocati libero concessum est arbitrio, ut semper, si velit, post sanctam hebdomadem pentecostes II. feria placitum habeat in villa, quae dicitur S. & non in anno saepius, nisi ab abbatte in uitatus; in praedicto autem placito ad servitium eius debet abbas ei dare maltrum frumenti profaciendo pane frisingum unum porcinum & duos ouinos & vinum ceteraque ad hanc sufficientia. Similiter TRITHEMIUS in chron. Spanheim. ad ann. 1325. idem illustrat: denique ad petitionem praefati comitis Ioannis Willichus abbas praedictum filium eius aduocatum suum in villa monasterii, quae dicitur auuen constituit, cui duodecim maldra auenae & totidem pullos ab incolis eiusdem villae danda singulis annis pro feudo assignavit. Sed ne quidem hoc censu moderato contenti erant aduocati, sed quidam occasione eius plures alias exactiones faciebant, & monasteria admodum grauabant, ut magis essent monasteriorum hostes, quam protectores. Cistercienses speciali priuilegio a GREGORIO IX. anno 1234.

D 2

contra

contra huiusmodi attentata muniti sunt, quod refert CHRYSOST. HENRIQUEZ in menolog. ord. Cist. tom. II. priu. 15. p. 61. Alia monasteria sibi alia ratione consuluerunt, graui aere redimendo aduocatias, vel aliter eas abolendo.

*Non tamen ex censu solutio-  
ne potest ius aduocatiae  
probari;*

§. XXII. Inde quaestio fuit mota, an ex solutione censu possit ius aduocatiae probari, vel admixtum eius posse induci? Negat hoc ROSENTHAL de feud. c. IV. concl. 14. n. 3. nec sine ratione negat. Cum enim censu sit argumentum varii iuris, non aduocatiae tantum, adeo ut etiam propter remissum ius aduocatiae referuari potuerit in memoriam pristini iuris, euidens est, solam censu solutionem esse argumentum admodum incertum & lubricum pro certo iure inde probando, nisi alia vrgentia adminicula accedant, vnde de vero fine huius censu constare possit. Ergo probandum est, censem esse solutum in argumentum aduocatiae vel ostendendem, in cuius significationem solitus fuerit?

*Exstinctio mo-  
nasterio, ex-  
tinguitur  
census prote-  
ctionis ergo  
constitutus,*

Ceterum si constat, in signum protectionis esse censem solutum, monasterio destructo, non amplius debetur, cum obligatio ad soluendum censem sit respectiva, respectu certae rei & intuitu certi finis praestanda, quo vtroque exstincto, censem quoque exstingui necesse est. MAGERV de aduoc. arm. c. 16. n. 15. Quid vero si censu fuerit promissus in argumentum acceptae libertatis ab aduocatia? Hic diuersus & quidem talis finis est, qui durare videatur, destructo etiam monasterio. Enim vero cum hic censu ipsa bona ecclesiastica vel monasterium adficiat, & intuitu eorum soluatur, non adpareat,

*vel etiam si  
acceptae li-  
bertatis causa  
promissus est.*

a quo

a quo exigi census queat. Ponamus, monasterium prorsus destructum, bona dissipata & dilacerata fuisse, a quo quaeſo talis census exigi posset? Certe, vt ego quidem existimo, a nemine. Vnicum tantum excipio casum, quem instrumentum pacis art. *V. §. 47.* indigitare videtur, si anno 1624. A. C. statibus, fundationibus iam deſtructis aut collapsis, ex alienis territoriis pensiones, quorū sum etiam tales census pertinent, debitae fuerunt, qui iis exſolu in posterum quoque debent iis, qui anno 1624. d. 1. Ian. in possessione perceptionis vel quasi fuerunt. Praeterea vero hoc adiicitur: quae vero ab anno 1624. deſtructa fuerunt, aut in futurum concident, eorum pensiones etiam in alienis territoriis domino deſtructi monasterii seu loci, in quo id ſitum, exſoluantur.

§. XXIII. Praeterea quoque episcopis variis Episcopi censuſ ex caulis census ſoluti ſunt. Sic (1) monasteria olim ecclesiā parochiales a laicis ex antiqua infeudatione poſſeffas, acquirebant, id quod cum aliter, quam cum conſenſu episcoporum fieri non poſſet, foilebant hi annum censum pro tali confeſſione ſibi reſeruare, quem concilium Claromontanum certo modo approbavit, apud PETRVM de MARCA de C. S. & I. lib. VI. c. 31. & HARDVINVM tom. VI. p. 2. concil. p. 1735. Ceterum hoc etiam (II) episcopi ad eum extendebant casum, si ipſi met ecclesiā tales, olim in feudum laicis dataſ, manibus poſſefforum liberauerant, & in pristinum restituerant ſtatum, pro quo beneficio ab ecclesia annum poſtulabant censum, quod ſordidae auaritiae indicium videbatur, adeoque reprobandum erat, vt docet

(3) vel proto. c. 9. X. de censib. Imo (III) quandoque ipsas ecclesias sub anno censi clericis concedebant, quod instar locationis erat, & variis ex causis reprobatum, vt tit.

ne praelati vices suas vel ecclesias sub anno censi con-

(4) pro renun- ced. docet. (IV) Episcopi quoque annum censem sibi stipulari poterant, quando iuri suo dioecesano, accedente consensu papali, in monasteria & eccle-

sias ei connexas renunciabant, quod approbat pontifex in c. 6. X. de relig. domib. Cum enim in ex-

emptionibus monasteriorum saepe solitus fuerit cen- sum certum sibi reseruare, id multo magis permit-

tere debuit episcopis, iuri suo in monasteria sub

(5) provin- nionis, hac conditione renunciantibus. (V) In vniunionibus

quoque ecclesiarum, praesertim, quae monasteriis fiebant, sibi licite episcopos, pro facultate hac

accepta, censem annum reseruasse, indigitat

pontifex in cit. c. 6. his verbis: cum non insolitum sit,

nec nouum, vt cum episcopi ecclesias concesserint prius locis, aliquid sibi reseruerint in eis nomine pensionis. (VI)

(6) pro libe- Quandoque etiam loco exactiōnum, quae varii gene-

ratione ab ris erant, sibi censem quendam generatim stipula-

abantur, & ab illis ex singulari gratia ecclesias libe-

rabant, vt docet c. 21. X. de cens. Denique (VII) in

ipsa dedicatione ecclesiae honoris gratia quandoque quid episcopo reseruatum est, vt docet c. 30.

C. 18. q. 2.

Census etiam S. XXIV. Haec omnia euincunt, censuum suis-  
principes pro se diuersissimos fines, quod etiam confirmatur in c. 5.

concessionibus X. de censib. adeoque vniuersalem regulam de his

varii exige- constitui non posse, nisi hanc, quod pro concessio-

nē iuris cuiusdam singularis constituti vel reseruati

fuerint

fuerint soluti. Hunc morem in imitationem traxerunt postea principes aliue magistratus, subditis aliquid indulgentes, & pro annuo censu hanc vel illam facultatem, quam absque eorum consensu exercere nequeunt, concedentes, veluti exstruendi molendinum, aperiendi metalli fodinam & quae sunt alia. Etenim *libertas naturalis* in multis prouinciis per leges prouinciales admodum restricta est, vnde factum, vt non spernendi prouentus ex *censibus annuis* in fiscum vel aerarium magistratum quotannis redundant. Ideo enim soluuntur hi census annni, tum vt recognoscant subditi, se ex *concessione magistratus*, & non proprio iure, hac facultate vti, tum etiam quia exemplo antiquorum episcoporum iam dudum in morem abiit, nullam indulgere gratis gratiam, sed omnia ut plurimum *pro censu* annuo concedere. Denique hoc etiam nobiles in pagis ex antiqua *dominica potestate* in rusticos, qua horum libertas naturalis admodum ligata fuit, in constantem traxere praxin, & rusticis sub annuo censu commercium huius vel illius iuris, a quo per dominos antiquitus exclusi fuere, imperare coecli sunt.

§. XXV. Hac de causa ill. Dn. BERGER *in Nobiles quo-  
oeconom. iur. lib. 1. tit. 12. §. 16. not. 6.* non inique cen-  
set, 1) censum de vino vsto *Brantwein-Blasen-*  
*Zins* regalibus minus recte accenserit, multo mi-  
nus 2) *censum protectionis* & *incolatus Schutz-* und  
*Haus-*Genossen Geld, adeoque etiam hos nobili-  
bus & magistratui inferiori deberi posse; addit ve-  
ro, hos census a *iurisdictione* repetendos non esse  
sed

*que tales cen-  
sus a rusticis  
pro bivis vel  
illius iuris vnu  
exigunt.*

sed solo *usu* aestimari. Sicuti vero *obseruantia* si-  
ne fundamento quodam esse non solet, quo pri-  
mordialiter est introducta, ita nec hoc casu illud defi-  
cere videtur. Scilicet (1) ipsa *census* exactio pro con-  
cessione cuiusdam facultatis, in se non est regale,  
vti ex hactenus dictis liquet, sed potius ipsa *facul-  
tas* inspicienda, quae quoties *regalibus* annume-  
ratur, *census* debetur camerae principis; quoties  
vero etiam arbitrio priuatorum subiecta, *censum*  
etiam hi sibi stipulari vel reseruare possunt. (2) No-  
biles olim habuisse *dominicam potestatem* in rusticos,  
iam supra obseruui, vnde non tantum ipsa *patri-  
monialis iurisdictionis* natales suos habet, sed ipsimet  
varia *iura praecipua* sibi vindicarunt, a quorum  
commercio rusticos adhuc hodie excludunt, & in  
antiquissimo *usu* & *obseruantia* hac de causa se se fun-  
dere solent. Sane commercium *vini adusti priua-  
tuum* nobilibus eo magis arrisit, quo magis se se  
hoc potu ingurgitare solent rusticci, non sine lucro  
& quaestu eius, qui *censum* inde percipit. Ideo  
enim hoc commercium ex *poteestate antiqua* sibi pri-  
uatiue attribuerunt, vt annum *censum* pro eius  
concessione quotannis percipere possent. Ita vero  
(3) regulariter talis *census* debetur *domino iurisdi-  
ctionis*, quippe qui in *iura veterum dominorum*  
successit, qui tale commercium sibi appropriarunt.  
Denique (4) *census protectionis* & *incolatus* ex eo-  
dem principio fluit, ex quo praemordialiter *iuris-  
dictio patrimonialis* deduci debet. Exercuere no-  
biles *dominicam potestatem* in rusticos: pagum, in  
quo hi habitabant, suum dixere, &, postquam  
bona

bona sua in feudum obtulere, inde factum, daß sie auch mit dem Dorffe belehnet werden. Inde qui in ipso pago, vt inquilinus vel incola recipi & commorari voluit, ex concessione eius, cuius in dominio fuit pagus, id facere debuit, indeque mos in ualuisse videretur, vt tales incolae soluere teneantur *censum protectionis & incolatus*, quod ita eius *iurisdictioni* sese subiecerint. conf. DN. WILDVOGEL de *protectionis censu*. Cum hoc censu affinitatem habet *census agricolationis* vulgo *Leib-Pfennig / Leib-Beth*/ in illis locis adhuc visitatus, in quibus rustici *homines proprii* sunt seu seruulis conditionis, quippe quem praestant in argumentum seruitutis seu proprietatis, vid. FROMMAN *de oper. subditor. maxime rusticor.* th. 23. HARPRECHT vol. nou. conf. 4 n. 776 seq. STAM. *de seruit. person.* lib. III. c. 22. n. 2. Talem censum annum sponte olim subierunt, qui sese in proprietatem alteri dabant, in primis si se se vt *mancipia & proprios homines* ecclesiis vel monasteriis offerebant. Testis est CAESAR HEISTERBACH lib. VII. *de mirac.* c. 39. referens, Walterum de Birbach, consanguineum Henrici ducis Louanii B. Mariae in quadam paupere ecclesia in eius honorem dedicata, fune collo suo iniecto, seruum glebae sese obtulisse & soluisse singulis annis censum de capite suo, quantum serui originarii soluere consueuerunt. In locum huius census, qui seruitutis argumentum est, sine dubio census *protectionis & incolatus* substitutus est iis in locis, vbi rustici non amplius sunt *propri homines*, sed *liberi*, vt in argumentum *protectionis* censum soluant, quem olim soluebant rustici in seruitutis indicium. Aegre enim, statu rusticorum li-

E

cet

cet mutato, nobiles aliquid de redditibus suis remiserunt, vt ut nomina mutare coacti fuerint.

§. XXVI. Supereft, vt reliquam censum

*Patroni quoque ecclesiis a se fundatis census impo-*  
ſtrare.

praxin paucis adiiciam. Quod episcoporum avaritia iam dudum probauerat, etiam patroni, ecclesiis in suis fundis exſtruenteſ, ſibi permifſum eſſe perſuaſiſſimum habebant, variisque censibus ecclesiis suas grauabant, vt docet c. 23. X. de iure patron. Re-

probauit hoc ipsum pontifex voluitque, vt tautum antiquos & moderatos reditus perciperent, a nouis vero abſtinerent. Antiqui reditus non alii erant, quam qui conſenſu epiftci in ipſa fundatione reſeruati erant. Sicuti enim quilibet rei ſuae legem ſcribere potest, ita aequum erat, vt patronis cenſus, ſub cuius conditione ecclesiis fundauerant, praeftaſtarent. Solebant enim patroni in memoriam priſtini dominii, & ad captandam gloriam in omnem posteritatem, ex bonis in eccleſiam collatis, ſibi cenſum quendam annuum reſeruare, quale exemplum ſuppediat pontifex in c. 18. X. de ſenti. & re iudic. vbi patrono annuatim decem ſolidi ſoluendi erant. Noui cenſus autem dicebantur, qui post fundationem ecclesiis a patronis obtrudebantur, iure ſuo ſeſe vii arbitrantibus, quod iure dominii directi gauderent. Nec hoc demirandum, cum idem epiftci tentarent, vt ordinarii collatores ceterorum beneficio-rum c. 7. X. de cenfib. Vtrumque hoc prohibitum eſt, ceu docent c. 7. & 15. X. eod. adeo vt nec antiquos cenſus augere permifſum fit.

*Praefiant et iam cenſus pa-*  
*rochi pree-*

§. XXVII. Deprehendo etiam cenſum, que in parochi ſoluere, debebant de redditibus parochialibus praelato,

praelato, cuius beneficio iuncta erat per *unionem lato, cuius  
ecclesia. Hic enim primarius vnionis erat effectus, beneficio ec-  
vt vel rector dominus, vti vocant principalem, clefia per unia  
omnes redditus perciperet, & vicario suo quotannis onem iuncta  
certam redditum portionem assignaret; vel vica-  
rius seu parochus omnes redditus perciperet, & prin-  
cipali quotannis censum praestaret, prout in ipsa  
incorporatione vel *vniione*, auctoritate episcopi, pro-  
uisum erat. Illustratur posterius per *vnionis in-  
strumentum de anno 1309. FRIDERICI episcopi  
Brandenburgensis apud ill. DN. A LVDEWIG tom.  
II. reliq. MSZ. n. 176. in quo plebanio seu parocho  
hoc onus impositum: videlicet quod plebanus qui-  
cunque seu rector ecclesiae praefatae in Schartowe, qui  
pro tempore fuerit, VI. marcas argenti Stendalliensis,  
Magdeburgensis ponderis & octo choros diuersi generis  
annonae supra dictis praeposito, qui pro tempore fue-  
rit, & ecclesiae sanctae Mariae singulis annis in per-  
petuum & cunctis temporibus seculorum de redditibus &  
prouentibus ipsius ecclesiae analis in Scharthowe, ad  
vsus praepositi ac ipsius ecclesiae persoluet, praesenta-  
bit, donabit, atque dabit ad diem S. Martini hiema-  
lem. Idem FRIDERICVS eodem anno apud EVN-  
DEM n. 177. ecclesiam Burch eidem coenobio incor-  
porauit, hac inter alia vsus formula: videlicet quod  
plebanus quicunque seu rector ecclesiae praefatae in  
Burch, qui pro tempore fuerit, XL. marcas argentei  
Stendalliensis Magdeb. ponderis supra dictis praeposito,  
qui pro tempore fuerit & ecclesiae S. Mariae singulis  
annis in perpetuum & cunctis temporibus seculorum  
de redditibus & prouentibus ipsius ecclesiae parochialis**

*in Burch ad usque praefati praepositi ac ipsius ecclesiae persoluet &c. Utrumque diploma vallatum est poena dupli, si parochus negligens fuerit in soluendo hoc censu.*

*Census precariorum.* §. XXVIII. Non infrequentes quoque olim fuere precariarum concessiones, quarum rationes excusavit Dn. PRAESES in iur. eccles. protest. tit. de precar. Possessoribus harum regulariter ad annum censum tenebantur in recognitionem dominii, & argumentum concessionis precariae. Apud MABILLON in annal. Benedict. tom. II. in append. n. 43. occurrit precaria Bertfredi abbatis Melundensis, ubi inter alia praestatio anni census hac firmatur clausula: *si de ipso censu negligentes apparuerimus, duplum componamus, & nihilominus precaria ista firma omni tempore vitae nostrae permaneat & ita stabilis, ac si de quinquennio in quinquennium renouata sit.* In capitularibus hanc in rem facientia plura occurunt documenta. Lib. VI. cap. 42. apud BALVZ. tom. I. p. 1006. constitutum, ut in adiutorium exercitus sub precario & censu bona ecclesiastica retineantur, simulque conditiones vtriusque determinantur. Lib. VII. capit. 142. p. 1034. de aliis precariis generaliter id traditur, episcopisque electio relinquitur, vtrum finitis precariis rem ipsam recipere velint, an posteris eorum sub precario & censu habere permiserint? In formulis Bignonianis apud BALVZ. tom. II. p. 506. n. 20. haec occurrit clausula: *propterea hanc precariam manu mea vel bonorum hominum firmatam vobis exinde emisimus, ut annis singulis censu denarium tot ad luminaria S. illius -- die illo, quod euenerit festo*

*festo ipsius sancti illius pro hoc vobis dare & adimple-*  
*re faciam.* Aliis testimonijis hoc exornat BIGNO-  
*NIVS in. not. ad append. Marculfii apud BALVZ. tom.*  
*II. capitul. p. 961.* Adiiciam adhuc formulam priuilegii monasterii Atrebaten sis, concessi anno 866. &  
*relati a BALVZIO ad Petrum de MARCA de C. S. &*  
*inp. lib. III. c. 16. in f.* *Has villas cum mancipiis &*  
*omnibus adje pertinentibus invsus luminariorum matri-*  
*culariorum & ceteris, quae in ecclesiis in praefato mo-*  
*nasterio positis necessaria fuerint, deputauit CVM*  
*OMNI CENSU DE OMNIBVS PRECA-*  
*RIIS monasterii.*

§. XXIX. Denique etiam bona sub modo cen-  
*su* in alterum transferri possunt, interueniente  
*contractu*, cuius facere mentionem videtur ALEXANDER III. in c. 1. X. de restit. in integr. Natura eius  
*in eo consistit, vt pleno iure res in alterius pro-*  
*prietatem transferatur, nequidem retento dominio*  
*directo*, census tamen annuus in perpetuum reser-  
*uetur in memoriam pristini dominii.* De tali contra-  
*etu pontificem egisse, communiter ex illa ratione*  
*concludunt, quod, ecclesia laesa & restituta, bona*  
*ad ius & proprietatem eius redire dicantur, adeo-*  
*que praesupponi debeat, ecclesiam laesam antea pro-*  
*prietatem amisisse.* Id in primis egit FELICIA-  
*NVS de SOLIS, vt hoc defenderet, & ea occasio-*  
*ne tractatum de censibus conscriberet, quam senten-*  
*tiam etiam tuetur GONZALEZ ad cit. c. 1.* Ego hic  
*subficto*, cum argumentum, quo vtuntur, etiam  
*applicari possit ad emphyteusin in Italia vstatam,*  
*cuius intuitu textus praedictus conscriptus est.*

*Census reser-*  
*uatus in me-*  
*moriām pri-*  
*stini dominii.*

*Modicus census etiam soluitur in emphyteusi: emphyteutae non raro coloni dicuntur, quales minus recte dicuntur, in quos pleno iure res translata est, & si contra hanc alienationem ecclesia laesa restituitur in integrum, recte dicitur fundus in *ius & proprietatem ecclesiae redire*. Quicquid vero huius rei sit, si *plenum dominium*, reseruato censi transfertur, census utonus reale fundo inhaeret, eoque nomine actione *confessoria & negatoria* vtili agendum est. Ortum inde sine dubio traxere *census redimibiles*, quos constitutuos vocant, sicuti priores *reservatiuos*. FRANZK, l. 1. ref. 1. n. 14. *sqq.* BERGER in *oeconom. iur. lib. III.* tit. 5. §. 27. qui in eo quidem conueniunt, quod in utroque census sit instar seruitutis, dominium autem plenum penes censitam maneat, sed in fine est differentia. Neque constitutiui proprietate pertinent, cum de his censibus tantum agam, qui *argumentum iuris alicuius concessi* sunt, qua de causa neque de aliis censibus, qui ex fundis, vario contractus genere intercedente, praestantur, ero sollicitus, quamvis alias *census* appellatio tam diffusa sit, ut quibuscumque pensionibus & praestationibus applicetur, de quibus tamen hic minime agitur.*

*Varia census argu-*  
*menta in unum confe-*  
*gunter.*

§. XXX. Ostendi, ni fallor, luculenter, census varii iuris argumentum esse posse. Quodsi enim, quae dicta sunt, in unum confero, palam erit, census solui (I) in signum *protectionis* §. 9. *sqq.* (II) *exemptionis plenariae* a potestate & iurisdictione episcoporum, §. 12. *sqq.* (III) *subjectionis nexusque feudal* §. 13. *sqq.* (IV) *factae oblationis bonorum eccl*esis vel monasteriis §. 19. (V) *aduocatiae* §. 21. (VI) *liberae*

*liberationis* ab aduocatia §. 22. (VII) *pro conceſſione*, vt monaſteria eccleſias parochiales a laicis acquirerent, (VIII) pro liberatione eccleſiarum a manibus laicorum, (IX) pro renunciatione iuris dioceſani, (X) pro vniōne, (XI) pro liberatione ab exactionibus, (XII) in memoriam factae dedicationis, §. 23. (XIII) pro vario iure a principe concesso subditis, §. 24. (XIV) pro commercio vini adulsti, (XV) pro incolatu, (XVI) in ſignum seruitutis, §. 25. (XVII) in memoriam fundationis, §. 26. (XVIII) ob vicariatum, §. 27. (XIX) ob confeſſionem precariarum. (XX) in memoriam priſtini dominii, §. 29. Plura fine dubio addi poſſent, quae varium cenſum significatum illuſtrare poſſent; verum haec ſuf-ſicieſt existimauit.

§. XXXI. Praefatur cenſus vt plurimum in *Cenſus in frumento, vel pecunia*. Si in frumento, in ea praefandum est cenſus mensura, quae tempore *conſtitutionis* vel *reſervationis* uifitata fuit, quippe de qua eo tempore cogitatū fuit. Si de ea mensura non conſtat, (quod contingere tunc in primis potest, ſi ab eius praefatione per diuturna ceſſatum tempora, nec aliunde conſtat, qua mensura anteceliores cenſum perſoluerint) diſtinguit pontifex in *c. 18. X. de cenſib.* aut eadem & communis est terraे mensura, aut diuersa. (v. c. der große und kleine Scheffel) Priori caſu ſoluendus cenſus in dubio in *communi mensura*; quamuis enim olim alia mensura adeſſe potuerit; ſufficit tamen, quod de ea non conſtet, nec a debito probari poſſit. Posteriori vero, qui ſoluere in minore menſura volunt, non ſunt cogendi, vt ad maiorem

*Si mensura  
incerta.*

maiorem persoluant. Optimam INNOCENTIVS III. addit rationem: *quoniam cum huiusmodi vota (census) gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.* Haec ratio ex *decoro & honestate externa*, clericis imprimis commenda, est desumta: supereft alia, eaque iuris communis: *Quod ubi varius regionis mos est, ad id quod minimum est, redigenda summa sit, l. 34. de R. I. vel vt in l. 9. eod. dicitur, semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Quae etiam applicari potest ad nobiles aliosque quoscunque, qui tales census percipiunt.

*Census in mo-  
neta.*

§. XXXII. Sicensus in moneta soluitur, eaque postea mutata vel extra vsum prorsus posita fuerit, regulariter respiciendum ad bonitatem monetae, quae tempore *impositionis & reservationis* promissa, vt censuit pontifex in c. 20. & 26. X. de censib. vt in illa bonitate moneta, vel si ea haberiamplius nequit, aestimatio eius praestari debeat, nisi praescriptione XL. annorum (in ecclesiasticis censibus: in aliis ergo XXX annorum) interueniente in alia qualitate pecunia accepta fuerit, quorsum respxisse videtur pontifex in c. 20. & non nisi triginta sex annorum ad plus tempus effluxerit, quibus indigitat, non fuisse praescriptionem completam, Evidem haud leuis ponderis dubia circa hanc quaestionem mouit HARTMANNVS PISTOR. obf. 144. asseruitque, parum hic referre, vtrum praescriptio sit impleta nec ne? cum non tam de *praescriptione* quam *praesuma-  
ta remissione* agatur, quae etiam ex vnu paucorum annorum induci possit, ita vt qui censum in mo-

neta

neta aestimationis vel valoris minoris acceperit, maiorem censum remisisse videatur. *arg. I. 13. D. 15. C. de usur.* *Enim vero 1)* talis praesumtio cedere debet veritati, si contraria voluntas, quod maior census haud fuerit remissus, doceri poterit, ut ipse *Pistoris* docet *cit. l. n. 41. sqq.* *Quid enim si doceat actor, se non sponte recepisse, se protestatum fuisse?* *Quin cum 2)* errantis non sit voluntas nec consensus, *l. 15. D. de iurisdic.* crederem, audiendum auctorem esse, si errorem probare paratus est, contra eum, qui in *praesumpta remissione* se fundat ex acceptatione monetae leuioris valoris: probato enim errore, praesumpta remissio corruit. *Praeterea quoque 3)* respiciendum, an is, cui praesumpta remissio opponitur, remittere pro lubitu potuerit, id quod in ecclesiasticis censibus non est integrum regulariter *l. 37. D. de patz.* quale exemplum in *cit. c. 20.* occurrit. Talia autem dubia & obstacula allegari nequeunt, si praescriptionis praesidium censitam tuetur, quippe quae ius irreuocabile ex lapsu temporis constituit *B. HORN. class. XI. resp. 89.*

**§. XXXIII.** *Quodsi monetae antiquae, iam prorsus extinctae, valor dubius sit, rursus in dubio quod minus est, accipiendum cit. l. 9. & 34.* Denique si tantum simpliciter *quantitas* in censum deducta, sine *expressione generis monetae*, veluti, *duobus thaleris* promissis, contigeritque monetae *boniatem* mutari, siue *intrinsecam* siue *extrinsecam*, census in consueta hodie moneta soluendi, licet in hodierna moneta duo thaleri forsitan deterioriores quam

F

olim

olim tempore *impositionis* vel *reseruationis* fuerint,  
quia non certa nummorum species sed in genere  
*quantitas* in censum est deducta adeoque huius tan-  
tum habenda ratio.

*Difficultates  
motae refe-  
runtur & re-  
soluuntur.*

§. XXIV. Quae difficultates hic moueri &  
excitari solent, vt plurimum inde nascuntur, quod  
a diuersis ad diuersa argumenta trahant. Videli-  
cet (I) huc minime reduci debent decisiones in *mu-  
tuu* & *conditione* *indebiti* receptae & approbatae.  
In his speciebus obligatio *ex re* nascitur, & ita sim-  
pliciter quatenus *res* interuenit, obligatio in futu-  
rum constituta censemur, *l. 17. pr. de pac*t*.* vt non ad  
praesentem nummorum sed *antiquum* respicien-  
dum sit statum, qui fuit tempore contractus initii,  
seu *dationis*. CARPZOV. P. 2. C. 28. def. 5. Haec  
ratio ad *census* & alias *annuas praestationes* promis-  
tas applicari nequit, in quibus obligatio non ex *re  
data* & *accepta* sed *solo consensu* nascitur. Hic vero,  
si indefinite *quantitas* promissa, ad eam vnic  
respicitur, & ita census quotannis in *moneta* consueta  
solui debet. (II) Omne praefidium vt plurimum  
quaerunt in *cit. c. 20. & 26.* quorum textuum deci-  
siones tamen non exhausti hanc doctrinam, sed  
de specialibus loquuntur casibus, vt optime obser-  
uat WIESTNERVS *ad tit. X. de censib. n. 34.* Videli-  
cet, vt paucis me expediam, in *c. 20. de censib.* ad-  
fertur ea facti species, qua certum nummorum  
genus *denarii Papiensis* debebatur, & loco eius  
aliud genus, scilicet *denarii Luccenses*, solut. In  
his

*Dubium re-  
soluitur ex c-  
zo. X. de cen-  
sib.*

his mutatio contigerat, qui tamen non debebantur; non item in illis, qui erant in obligarione, quae nondum erat per praescriptionem sublata, adeoque respondet pontifex, *denarios Papienses* in posterum esse soluendos. Non ergo hic primario quaestio erat de *mutata* monetae *bonitate*, sed de certo nummorum genere praestando, quod mutationem haud receperat, prout etiam obseruat GONZALEZ ad c. 26. X. de censib. n. 6.

§. XXXV. Eadem fere decisio deprehendi-  
tur in c. 26. X. de censib. quae itidem supponit ca-  
sum, vbi certum genus monetae in obligatione erat,  
videlicet, ut census in moneta Turonensi praestaren-  
tur, loco cuius moneta Parisiensis exigebatur,  
quod reprobauit pontifex in cit. c. ut eleganter il-  
lustrat GONZALEZ ad cit. tx. n. 7. Rursus hic non  
erat quaestio de mutatione monetae. Neque enim  
moneta Turonensis, in qua census promissi erant, mu-  
tata fuerat; sed eam respuebant canonici, & pre-  
tiosiorem seu diuersum monetae genus pete-  
bant.

§. XXXVI. Diuersa ab his adductis casibus est ratio, si indefinite *quantitas* promissa, quae me-  
rito attendenda, qualiscunque mutatio monetae in-  
teruenerit, ut creditoris lucro & damno sit au-  
gmentum vel incrementum monetae; cum non ex-  
presso genere monetae *consuetus* & *vistatus* valor  
in dubio intellectus videatur, nisi forsitan enormis lae-  
sio

sio in debitorem vel creditorem ex nimia monetae mutatione redundare videatur, quo casu, *aequitate* suadente, quae optimum interpretandi fundamen-  
tum constituit, ad valorem primum foret respi-  
ciendum, tum quia *nova* insolita est, nec diutius persi-  
stere solet, adeoque de eo casu pacientes haud co-  
gitasse videantur: tum etiam quia benignior sen-  
tentia in dubio arripienda, quae a tali lae-  
sione abhorret. Wiestner *ad tit.*

X. de censib. n. 37.


## FINIS.

### COROLLARIA.

- (I) Testamentum nuncupatiuum non ad-  
mittit heredis institutionem relatiuum.
- (II) Sine ope aduocatorum processus hodier-  
ni peragi nequeunt.
- (III) Testamentum etiam per procuratorem  
iudici insinuari potest.
- (IV) Consanguinei heredis testes sunt habiles  
in testamento.

### CORRIGENDA.

p. 4. lin. 22. lege *magnopere* p. 6. lin. 10. *cognoscitur*. ib. lin. 13.  
dele C. p. 7. lin. 25. pro alibi lege *etiam*, ib. post currentem pone  
comma, ib. lin. 27. dele *Tranc-*Steuer. ib. in margine lege *qualis*.



94 A 7343

ULB Halle  
000 543 829

3



KD 17






Inches  
 1  
 2  
 3  
 4  
 5  
 6  
 7  
 8  
 9  
 10  
 11  
 12  
 13  
 14  
 15  
 16  
 17  
 18  
 19  
 20  
 Centimetres  
 2.5  
 5  
 7.5  
 10  
 12.5  
 15  
 17.5  
 20  
 22.5  
 25  
 27.5  
 30  
 32.5  
 35  
 37.5  
 40  
 42.5  
 45  
 47.5  
 50  
 52.5  
 55  
 57.5  
 60  
 62.5  
 65  
 67.5  
 70  
 72.5  
 75  
 77.5  
 80  
 82.5  
 85  
 87.5  
 90  
 92.5  
 95  
 97.5  
 100

## Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



B.138.  
 NAVGVRALIS IVRIDICA  
 DE  
**CENSVVVM**  
**TV ET IVRE**  
 QVAM  
 DVLT V  
 TIS IVRIDICAE  
 FRIDERICIANA  
 AESIDE  
**NNING. BÖHNERO**  
 REG. BORVSS. CONSIL.  
 IVR. ORDINARIO  
 t. DECANO  
**LICENTIA**  
 IVRE CAPESENDI HONORES  
 ET  
**DOCTORALIA**  
 RT. MDCCXXII.  
 L. Q. C.  
 SQVISITIONI SVBMITTIT  
**IDERICVS** *Gumpelt*  
 SAXO ADVOCATVS DRESDENSIS.  
 MAGDEBURGICAE  
 RVNERI, Academ. Typogr.